

sola rotunditate sibi simile esset? Dixere alii ut Archetypo, unde prodiit simile esset. Ubi nullum principium, nullus finis, sicuti neque in rotundo. Sed omnia ab Archetypo prodierunt, cur non omnia rotunda? Itaque hæc retio etiam ab Astronomis est reiecta. Sicuti et illa, ut omnia caperet. Potuit enim et ovali, et alia quoque omnia capere. Sed Aristoteles alia est ingressus via. Perfectissimo corpori, perfectissimam convenire figuram. Sphæricam autem, omnium esse perfectissimam in solidis sicuti in planis circularem. Quoniam eis, aliunde addi nihil potest. Quæ perfecti est conditio. Rectæ autem lineæ, semper additio fiat, ideoque imperfectionem semper sapit recta, et eæ figuræ omnes, quæ ex rectis fiunt, angulosæ. Deinde alio argumento. Primo corpori, prima, competit figura. Hæc autem rotunditas est, quia una constat, vel linea, vel superficie. Unum autem prius est, quam plura. Recta autem plura est, quia additiones plures ei fieri queunt. Sed hac in re sophismate nos fatigat, eo, quo de genere uno, in aliud transitur genus, a curvua linea, ad rectam. Et alio. Cur enim, recta, una non est? Et ante additionem, et post additionem, si est continua posterior cum priore? Nam si una non est, plures est, antequam addita ei sit alia. Non ne, et circulus fit additione? Arcuum, et segmentorum tot, quot eum adimpleant? Sed cælum cur dicit esse corpus primum, vir ille, qui uti ostendimus, et sphæricitatem eius, a sphæricitate deducit terræ, aquæ, æris, et aliorum, his superpositorum? Hac enim ratione, non primum, sed ultimum fuerit corpus, superum cælum. Deinde si rotunditas prima est figura in solidis, et ubi ea sit, primum corpus facit. Non minus aqua corpus erit primum, quam supremum cælum. Aquam enim, et ipse sphæricam fatetur. Et terra quoque hac eadem sphæricitatis ratione, primum corpus, erit, et non minus quam terra, ær. Et non minus ignis, quam ær, et non minus orbis Lunæ, quam ignis, et corpus Lunæ, non minus quam orbis eius. Est enim Luna tam rotunda, quam orbis suus. Idem cæteri sunt planetæ, cum orbibus suis. Et stellæ aliæ, cum stellata sphæra. Itaque si rotunditas primo datur corpori, XII ad minus erunt, æque prima corpora. Elementa quatuor, cæli octo. Adde his, epicyclos, deferentes, eccentricos, concentricos, seu Callipeos illos, et Eudoxios orbis, omnes erunt prima corpora. Si planetarum, et fixarum corpora addideris, sine numero iam corpora prima erunt. Tam valida fuit tantarumque virium hæc Aristotelis demonstratio, ut pro uno primo corpore, pene infinita corpora, nobis pepererit. Euge. Quid illa perfectionis demonstratio? Eadem fœcunditate, totidem, ac forte longe plura perfectissima parturiet nobis corpora. Non enim sola octava sphæra, corpus perfectum est, quia ei aliunde addi nihil possit. Sed et septima, et sexta, et quinta, et aliæ deinceps, tam sunt in se perfectæ, ut ad perfectionem sibi competentem addi possit nihil, et eis nihil ad suam essentiam desit. Quid vero æri, ut ær sit, deest? Aut quid aquæ, et terræ, ut aqua, et terra sint vel deest, vel addi potest? Lunæ quoque ut sit Luna? Mercurio ut sit Mercurius? Veneri, ut sit Venus? Soli ut sit, quid aut desit, aut adiungi potest? Sed eadem ratio, de planetis est reliquis. Eadem de singulis sideribus. Quid egent re alia ulla, ut id sint quod sunt? Aut quid singulis superaddemus, ut ea reddamus perfecta? Perfectio, et quæcunque a natura, apud nos fiunt, ex elementis, ut creduntur mista, non ne omnia, (nifi si quæque vel manca, vel monstruofa nascantur) sua nanciscuntur perfectionem. Neque mihi quicquam forte deest, ut ego sim, sicuti neque alii ulli homini, aut bruto, aut stirpi, aut lapidi, aut metallo? Aut aliæ rei naturali ulli? Tot ergo corpora in se perfecta, numero superant, ea quæ prima esse ostendimus. Macte virtute Magnanime Aristoteles qui tam feracem nobis parturisti philosophiam. Talia namque ut plurimum nectis argumenta, ut plus reddant, quam tu promittas. Astronomi, alias de suo ingenio addunt rationes, easque non paucas. Sphæra inquit circa centrum revoluta eundem semper occupat locum. Quid vero tum? Nam et cylindrus, et conus, et ovum idem faciunt. Præter hoc, necessitatem quandam, uti ipsi tibi persuadent, maximam addunt. Nisi cælum rotundum esset, impossibilia duo consequerentur. Alterum quod locus aliquis esse vacuus: alterum, quod corpus esse posset, non in loco. Nam dum cælum circumvoluitur, si angulare esset, anguli eius, in vacuo exteriori (quod tamen ipsi non concedunt) locarentur. Et rursus anguli corpus,